



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Haeresis Lutherana monstrosa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

positum. Orbi Christiano ostendit ut multi è scriptoribus Ecclesiasticis demonstrarunt, veluti Bellarminus & alij, sed exactissime Liber ille qui dicitur Anatomia Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, in cuius prima parte recensentur, omissis plurimis, ducentæ quatuor nominatæ hæresum sectæ exortæ ex Lutheri schismate, in Tertia vero parte per singula sæcula Hæreticorum dogmata recensentur quæ in Lutheri sectatorum phantastica capita ita influxisse ostenduntur perspicue, ut negari, nisi à fatuo, non possit, ex illis corpus hæresios Lutherianæ ad sui confusionem esse coagmentatum. Eodem vero modo Ebionem fecisse Epiphanius testatur, qui ex ijs, quæ in diuersis Sectis erant deterrima, nouæ hæreseos corpus constituit; ab his dogma aliquod, ab ijs nescio quam ceremoniam mutuatus, omnium vero malitiam & peruersitatem imitatus. Interim quamuis nec fide nec vita Catholicus esset, Catholicus tamen audire & videri volebat. Et uti Mahometem ex Christianorum, Iudæorum ac gentilium disciplina centonem confecisse euidens est. Sic Lutherus ex scriptis VVicleui, Hussij, & cuiusdam Monachi excucullati, Henrici nomine, (*) qui S. Bernardi tempore errores suos disseminare cœperat, plerasque suas hæreticas & schismaticas opiniones, reliquas vero ex turbido illo primarum hæreseon mari hausit.

III. Nam cum Simone omnium hæreticorum antesignano, liberum negat arbitrium. Hunc enim Libero arbitrio nihil, fato omnia tribuisse Clemens testatur. Cum Donato, ait Ecclesiam ex bonis tantum compositam esse, nec malos in ea ullam habere partem. Cum Iebusianis Montani discipulis, omnium ordinum & graduum in Ecclesia distinctionem reiecit. Cum Constantino, qui eam ob causam à S. Athanasio Antichristus fuit appellatus, terrenum Principem in sua diuisione caput Ecclesie esse dicit. Cum Iunonio, qui id ex Arrianorum fontibus hauserat, affirmat hominem sola fide iustificari, bonaque opera, tamquam liberi Arbitrii fetus, nihil ad salutem prodesse. Ad quam doctrinam specie aliqua veritatis confirmandam, in III. cap. Epistolæ D. Pauli ad Romanos verbis Apostoli in Germanica versione vocem *Allein* id est, *Sola*, adiunxit: rogantibus vero qua auctoritate id faceret, multo impudentius respondit, *sibi ita placere, quod Christianus diues sit, qui ob peccatum quodcumque animam suam perdere non possit, modo credat: quum nullum peccatum damnet hominem nisi sola incredulitas.* Hoc idem dogma Si-

monis fuit, Irenæo & Theodoro testibus. Et hoc ipsum quidam nouorum Euangelistarum præco simul & historiographus, inter Simoniacas hæreses recenset. Hunc certe articulum Lutherus quo melius eorum animis, qui pro sua conditione & ingenio, picturis erudiuntur, in tabula quadam in qua Extremum & vniuersale Iudicium depictum erat, Augustæ Vindelicorum ita adscribi curarat: *In hoc die vnusquisque secundum Fidem suam mercedem accipiet.* Deum immortalem, quam multi putridi ac pestilentes fructus hæc vna radix tulit! uti sunt hi quod hoc modo Virtus Sacramentorum est inutilis: Pœnitentia, Eleemosyna, Ieiunium & Oratio efficaciam suam amittunt. Quia vero non ignorabat Omnes SS. Ecclesiæ Doctores & Patres vno ore ac consensu asseuerare, sola fide, quamuis ea in tenebris huius vitæ fax nostra sit, hominem non iustificari: Papiſtas eos & Regni Papis Iustitiarum seu Sanctos operarios appellare non erubuit. S. Hieronymum, idem impie ait, *Infernum magis quam cœlum promeruisse, eo tantum quod Operum Iustitiam contra Fidem asserat.* Sed ô felix nimium sæculum, mi Lutheri, quando linguæ tacebunt, & sola opera loquentur! Sed videamus alias quasdam veterum hæreticorum exuias, quibus hærecica nostra Cornicula sese exornauit.

Cum Petro Abailardo Gallo, qui tempore S. Bernardi vixit, idem asserit, *omnia fato & absoluta quadam necessitate fieri, nec posse aliter fieri:* faciens hoc modo Deum auctorem peccati, quamuis ad malum nihil nos alliciat aut trahat, quam propria nostra voluntas. Cum Lurcone Iouiniano ait, *Ieiunium nullius esse meriti, nec ciborum ullam esse differentiam faciendam. Monialium coniugium tam Deo placere quam Virginitatem. Peccata omnia esse æqualia.* Cum Vigilantio Sanctorum intercessionem exhibilat. Cum Arrio Oblationes pro mortuis excludit; itemque cum eodem asserit *inter sacerdotes & Episcopos nihil interesse.* Cum Eutylianis, *Peregrinationes religionis ergo susceptas;* cum VValdensibus *Indulgentias despicit.* Cum Manichæis affirmat, *Aquam Baptismi ad salutem nihil prodesse.* Cum Pelagianis *Infantes sine Baptismo saluari posse.* Cum VViclevitis idem *Missæ sacrificium ex parte abolere voluit.* Cum Armenis negat *Matrimonium esse Sacramentum;* à quibus etiam hoc didicit, *in Eucharistia vinum aqua miscendum non esse.* Cum Donatistis dicit, *Ecclesiam multis sæculis fuisse inuisibilem;* quamuis

a Vita S. Bern. cap. 5. Masso. in Phil. an. 5.

his hunc ille articulum postea retractarit, vt in 12. Operum ipsius Tomo legere est. Cum VValdensibus & Pauperibus Lugdunensibus vult; *Pastoribus & Prelatis Ecclesiasticis non licere bona temporalia possidere.* Cum illis hereticis qui Berengarium sequuti sunt, *admirabilem & supernaturalem Transubstantiationem in Eucharistia negat:* cum Nestorio, teste Cyrillo negat *corpus Iesu Christi esse in Eucharistia, extra vsu Sacramenti.* Cum Græcis hereticis & Schismaticis affirmat, *necessariam esse in Eucharistia vtriusque speciei (Panis & vini) summptionem.* Quid tamen de S. Eucharistia seu Cœna Domini senserit, plenius libro 21. exponam. Cum VVicleuo effectum & potestatem Excommunicationis reuocit: cum laicis VValdensibus, *potestatem seu auctoritatem Ecclesiasticam:* cum Nouato, *potestatem remittendi peccata.* Cum Arrio omnem Traditionum Ecclesia memoriam abolitans cupit, *pedibus manibusque soli scripto Verbo affixus.* Vt paucis multa concludam, ab omnibus hereticis aliquid mutuarus, tanto formosius hæreticos corpus efformaturum se putabat, quanto è pluribus atque inter se diuersis membris ac partibus esset compositum. In quo sane non leuiter peccasse mihi videtur, qui non præuiderit si quisque suum ab ipso repetierit, se tamquam Æsopicam illam corniculam in medio nudum relictum iri. Sed & Iudæorum Synagogam intrare & aliquid ab eis dicere non dignatus est. Quemadmodum enim illi docent, Postello teste, *peccatori quamprimum penituerit, remissum esse peccatum:* sic Lutherus explosa Pœnitentia quæ iram Dei sedat & prædestinationem rumpit, nulum salutare remedium animabus applicandum ducit: sed *vel unum, ait, (a) suspirium ad Deum emittit, & iam tibi obsignata erit gratia; immo quanto eris sceleratior, tanto citius Deus in te gratiam infundet.* Illa vero Contritio quæ fit per discussionem, recollectionem & detestationem peccatorum, quando scilicet homo præteritos annos & offensas in memoriam reuocat, grauitatem, multitudinem, fœditatem & magnitudinem peccatorum, ac vitæ æternæ iacturam expendit: *talis, inquit Lutherus, Contritio hypocritas, adeoque maiores quam antea peccatores facit.* *Ista, ait, satisfactiones nihil aliud sunt quam tormenta & carnisceina conscientiarum. Homines nati sunt liberi. Ipsi Angeli nullam homini imponere legem possunt. Nemo hominum super Christiano vel vnam syllabam statuendi ius habet. Restituendum est Euangelium, & abicienda hominum seruitus, &c.* His & alijs emblematis splendet totus ipse liber De

Capriuitate Babylonica: quibus latissimam in omniliencia viuendi fenestram aperiebat, & tamquam classico vniuersum Mundum ad virtiorum castra conuocabat. Omitto hic ea quæ idem ex Alcorano desumpsit, de quibus post.

III. Porro desiderium bonæ apud Græcos Patriarchas ineundæ gratiæ (vt scilicet cum iis velut coniunctis communis odii erga Romanum Pontificem castris, tanto magis Romanæ nôcete posset Ecclesiæ) in causa fuit vt in multis tam ad Fidem quam ad Cæremonias spectantibus, cum Græcanica Ecclesia similitudinem aliquam affectarit, ac præsertim in Liturgia Lutherana, vt V. libro ostendetur. De Græcorum verò Fide & Cæremoniis, quod ex nostris auctoribus obscurius aliquanto descriptæ sint, multa ego non sine labore cum pluribus circumstantiis non scriptis, aliunde collegi: quæ Lectori non poterunt esse non grata. Græci igitur, vt hinc potissimum exordiat, Missas seu Liturgias suas iisdem fere verbis & precationibus peragunt quibus Latini. Exemplar nos in manibus habemus, eadem forma, qua S. Basilij & S. Chrysostomi opera, impressum. Ipsa Missa longior est aliquanto quam nostra, sic vt ei celebrandæ tres aut quatuor horæ impendendæ sint; si adhibeatur cantus Symphoniacus. Vnam tantum quotidie in Patriarchalibus Ecclesijs recitant: sed in Monasterijs pro deuotione Religiosorum plures celebrantur. Idem à Lutheranis fieri postea animaduertes, Horas Canonicas & Officia quotidie cantant, sed non Missam. Feria enim secunda, tertia & sexta non celebratur Missæ Officium. Ordinis Ecclesiastici homines eodem fere vestitu vtuntur quo Episcopi nostri aut sacerdotes: quemadmodum etiam multis in locis Lutherani. Sacerdos celebraturus, ad Altare accedens, pedes imaginis Saluatoris nostri in plana tabula depicti, deinde S. Virginis, S. Iohannis, & eius Sancti qui Ecclesiæ est patronus, deosculatur. Neque enim ab imaginibus plane abhorrent, vt nec Lutherani. Recitatis consuetis precationibus, panis modicus ad Altare portatur, in quo Crucis signum (superna parte est expressum, & circumscriptum his verbis: *(b) βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων*, id est, *Rex Iudæorum.* Inde sacerdos celebrans hastulam sumit vtriusque acutam, eam qua Saluatoris nostri pectus confixum fuit, representantem: eamque partem vbi Crucis signum est, exsecat, iisdemque verbis quibus nostri

a In Assert. art. 5. & p. b Finit Græcorum.